

AD SANCTIS
SIMVM DOMINVM PAV-
LVM III. PONTIFICEM MAXIMVM,
Nicolai Copernici Præfatio in libros
Reuolutionum.



ATIS equidem, Sanctissime Pater, æstimare possum, futurum esse, ut simul atq; quidam acceperint, me hisce meis libris, quos de Reuolutionibus sphærarū mundi scripsi, terræ globo tribuere quosdam motus, statim me explodendum cum tali opinione clamitent. Necq; enim ita mihi mea placent, ut nō perpendam, quid alij de illis iudicaturi sint. Et quamuis sciam, hominis philosophi cogitationes esse remotas à iudicio uulgi, propterea quod illius studium sit ueritatem omnibus in rebus, quatenus id à Deo rationi humanae permisum est, inquirere, tamen alias prorsus à rectitudine opiniones fugiendas censeo. Itaq; cū mecum ipse cogitarem, quām absurdum $\alpha\pi\rho\alpha\mu\alpha$ existimatūri essent illi, qui multorum seculorum iudicijs hanc opinionē confirmata m̄ norūt, quod terra immobilis in medio cœli, tanquam centrum illius posita sit, si ego contra assererem terram moueri, diu mecum hæsi, an meos cōmentarios in eius motus demonstrationem conscriptos in lucem darem, an uero satius esset, Pythagoreorum & quorundam aliorum sequi exemplū, qui non per literas, sed pér manus tradere soliti sunt mysteria philosophiæ propinquis & amicis duntaxat. Sicut Lysidis ad Hipparchum epistola testatur. Ac mihi quidem uidentur id fecisse: non ut quidam arbitrantur ex quadam inuidentia communicandarum doctrinarum, Sed ne res pulcherrimæ, & multo studio magnorum uirorum inuestigate, ab illis contenerentur, quos aut piget ullis literis bonam operam impendere, nisi quæstuosis, aut si exhortationibus & exemplo aliorum ad liberale studium philosophiæ excitentur, tamen propter stupiditatem